

neti essent, qui apud Germanos summa existimatione habentur, perhonorifice excepere. Sed cum nihil sibi cum Romano Pontifice esse, atque ea de re ad Cæsarem relatuos dicent, infecto negotio discessere. Delphinus superioris Germaniae Principibus ad Concilium invitatis, apud Cæsarem legationis munus obire jussus est. Commendonus, Germania inferiore, Saxonia, Rhenana ditione, Belgis, Lotharingia, deinde Germania superiore, & Bajoaria peragratis, cunctisque regionum illarum Episcopis ad Concilium Pontificis nomine vocatis, Romam est reversus; postea in Sarmatiam, eodem jubente contendit. Pius Apostolicæ Sedis legatos Herculem Gonzagam Mantuanum, Hieronymum Seripandum Neapolitanum, Augustinianorum olim fratum antesignanum, Stanislauum Osium Sarmatam Cardinales confestim Tridentum ire præcepit, quibus haud multo post Jacobum Simonetam Mediolanensem, Marcum Sciticum Altempsum, sororis filium, purpuratos adjunxit.

*Cardinales
legati &
alii a Pon-
tifice Tri-
dentum pro-
fici sci jubē-
tur.*

*Cardinales
a Pio Pon-
tifice elekti*

Turbulentissimis vero temporibus Cardinalium Collegium pietate, religione, ac rerum usu insignibus viris, qui laboranti Ecclesiæ opem ferrent, augendum ratus, ex Veneta nobilitate tres adlegit, Joannem Grimanum, Patriarcham Aquilejensem, a quo pronuntiando ob ei inflictam a malevolis calumniam abstinuit; Bernardum Naugerium, qui tunc præcipuum in Republica Sapientis Consilii magistratum gerebat; Marcum Antonium Amulum, legatum. Is, quod adversus leges delatam dignitatem accepisset, magnam apud Senatum, civitatemque universam invidiam subiit, quam neque ipsius literæ, quibus diu se abnuentem, ac reluctantem, coactum tandem Pontificis iussa detrectare nequivisse affirmabat; neque Pontificis, qui in hominem summa virtute, miro ingenio, invitum tamen, eam contulisse dignitatem testaretur, mitigare potuere. Nam cum de Cardinalium cooptatione nuntius esset allatus, statim in Senatu latum est, ne publica, aut privata ulla signa lætitiae, uti adsolet, ederentur, neve quis propinquorum holoserica purpura uteretur. Johannes Formentus iterum citato itinere Romam contendit, qui de Grimo, atque Naugerio summa dignitate ornatis ingentes Senatus nomine Pontifici gratias ageret. Quod ad Amulum attineret, Pii voluntati repugnare se nolle: ceterum perperam le-

*Senatus
perturbatio
& decreta
ob Amuli
Card. elec-
tionem.*

*Johannes
Formentus
a Senatu
Romam
mittitur.*